

05

A

1459





DISPUTATIO PHILOSOPHICA 2
DE
CONCURSU CAU-
SÆ PRIMÆ CUM ACTIONI-
BUS CAUSARUM SECUNDARUM,

Quam,

Concurrente primæ causæ auxilio,

In Celeberrima Wittebergenfium Academia

SUB PRÆSIDIO

VIRI

ADMODUM REVERENDI, CLARISSIMI, ATQUE
EXCELLENTISSIMI

DN. JOHANNIS SCHARFII,
SS. Theol. Licent. Log. & Metaphys. Professoris Cele-
berrimi, Dn. Præceptoris, Fautoris, ac Promotoris sui
summè honorandi,

Publico subjicit Examini

JOHANN. GEORG. HUTTENUS
Gubenâ - Lufatus.

*Habebitur d. 13. Martij in Auditor. Minor.
Horis antemeridianis.*

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
ALC® DC XXXIX,

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

DE

CONCURSUALI

DE PRIMAE CUM ACTIONI-

BUS CAESARUM SECUNDARUM,

Quam

Constitutis primae classis auxilio

In Collegiis Wittenbergensium Academicis

SUB PRAESIDIO

V. R. I.

ADMODUM REVERENDI, CLARISSIMI, ATQUE
EXCELLENTISSIMI

DR. JOHANNIS SCHARFII

et Theol. Licent. Log. & Metaphys. Professoris Cele-

berici, De Praeceptionis ratione, ac Promotionis sui

summe honorandi,

publico subicitur Examinis

JOHANNI GEORGE HULTENUS

Gubens. Julanus.

Habebitur die Martii in Auditorio Minor.

Hort. amenibundis.

WITTEBERGAE,

Typis JOHANNIS RÖHNRII, Acad. Typogr.

Anno DC XXXIX





באלהים

Thesis I.

Sedet animo impræsentiarum brevem instituire repetitio-
nem Contemplationis de *Concurso Cause primæ cum actioni-
bus Causarum secundarum*, eamq; ad placidæ disquisitionis in-
cudem revocare. *Benedicat Deus nostris conatibus.*

2. Duabus autem, vel ad summum tribus quæstionibus to-
tum negotium absolvere solent Dd. Philosophi, quarum una so-
licita est de Veritate Existentiæ, *An detur talis concursus*; Altera
de Modo, *quomodo concurrat Causa prima*; Tertia, *An etiam ad
actiones malas influat*, ut videre est apud Metaphysicos passim,
ut & illos, qui de Pneumaticis scripserunt.

3. Nos hæc in re sequemur tanquam filium Ariadnæum Vi-
ros in Philosophia exercitatissimos, *Excell. Dn. D. Jacob. Martini,
Excell. Dn. Præsidentem, Dn. Scheiblerum*, nec non *Svareziium*, hocq;
thema per Causas solitâ methodo pertractabimus.

4. Intellectum nostrum itaq; variarum rerum cognitione,
quæ imbuunt, tria sunt, (1) *Res extranos posita*, quæ intellectui
objiciuntur. (2) *Conceptus*, seu *formatâ de Re objectâ imago*, quæ
menti impressa rem extra nos positam intrinsecè repræsentat,
& (3) *Vox*, quâ conceptus seu res intellecta cum aliis commu-
nicatur.

5. Tria hæc se invicem consequuntur, atq; tum se rectè ha-
bere putantur, quando probè congruunt, ita quidem, ut *Res*
verè sit & existat, *Conceptus* rem exactè exprimat, *vox* conveni-
enter enunciet.

6. Nos præsentem tractaturi materiam ordine retrogrado
Voces, à quibus proximè ad conceptum, atq; hinc ad rem ipsam
itur, ab initiò paulò diligentius excutimus.

7. Ergò per *Causam primam* intelligimus *Efficientem*, exclusis
reliquis, *Materia sc: & Forma*, siquidem Deo nullum aliud



Causalitatis genus competit, nisi Efficientis *secundum proprietatem*, ut loquitur *Svaretz*, licet Impropriè & Metaphoricè interdum dicatur Forma omnium, quòd omnia vivificet, & Materia, quando Scriptura dicit, Regenitos esse natos ex Deo.

8. Dicitur autem Causa prima dupliciter. *I. ratione descensus, à Causis ad Effectum.* Ita Causa prima est DEUS, qui supra se nihil habet, cui vel in Essendo, vel in operando subordinetur. *II. Ratione ascensus, ab Effectu ad Causas,* & sic prima Causa est, quæ immediatè effectum attingit, atq; idem est, quod Causa proxima atq; immediata. Prior significatio hujus loci propria est.

9. Per *Causam secundam* itidem intelligimus *Efficientem*, quæ eodem modo potest dupliciter dici, quòd Prima. Intelligimus autem & eam, quæ ratione descensus, dicitur Secunda, & est illa, quæ in operando ab alia dependet, primæque subordinatur.

10. Secundariò etiam Materia & Forma ad Causas secundas referri possunt, siquidem hæ suas Causalitates exercere non possunt, nisi causa prima influat. Sed non nisi per modum Efficientis, aliàs summa involveretur imperfectio, cum hæ causæ intrinsecè componant per modum partium, quâ de re vide *Svaretz. Diss. 22. Sect. 1. n. 25. 26. seq.* Sed cum hæ Divisio competat solum Efficientibus, has etiam primariò hoc loco volumus intellectas.

11. Huic Causarum Efficientium Divisioni respondet & illa, quâ dividuntur in *Universales & Particulares.* Discrepant tamen, quòd in hac considerentur Causæ in causandi ordine; in illa non necessariò attendatur Concursus unius Causæ cum alia, sed inspiciatur potiùs ratio Essendi. Et sic solus Deus est Causa prima, reliquæ omnes comparando eas ad Deum sunt Particulares & Secundæ. Universales si denominantur, respectu indeterminationis in agendo sic vocantur, non respectu Independentiæ.

12. *Concursus* à Concurrere nomen habet, & usurpatur propriè de Viventibus, quando in unum locum concurrunt. Impropriè autem Terminus omnibus fermè Disciplinis communis

munis usurpatur de iis rebus, quæ combinantur, vel alio quodam modo conjunguntur, & associantur. Jæti habent concursum Creditorum; Mathematici concursum punctorum, ex quo fit linea, habent concursum Linearum, ex quo fit superficies, habent concursum Superficierum, ex quo fit Corpus. Alij habent alium.

13. Hic non tam Entium, quam Entium Actionum concursum intelligimus, cui Synonymicè respondent Vocabula *Influxus*, *Cooperatio*. Theologi vocant *Providentiam*, quod Vocabulum Veteres expresserunt per *Administrationem*, *Regimen*, *Gubernationem* &c. *August. l. 4. de Genes. ad lit. c. 12. l. 5. c. 20. l. 7. de Civ. D. c. 29. notante B. Gerbaro Tom. 2. LL. C. de Provident. §. 14. pag. 56.*

14. Per *Actiones* formaliter intelligitur Medium, quò Effectus ab agente producitur. Latè si Vox Effectus sumatur, pro eo etiam, quod ab agente quoquo modo procedit, Actio inter Effectus numerari potest.

15. Hoc autem termino Limitatio quasi additur Concursus, ne intelligatur fortè Influxus Creativus, aut Conservativus, sed unicè Cooperativus.

16. Concursus Causæ primæ alius est *Generalis*, alius est *Specialis*. Ille est, quando Deus ad omnes Causarum secundarum actiones concurrat Ordinariè; Hic est, quando Deus cum Causis secundis aliquid præter, supra, vel contra Naturam Extraordinariè efficit. De hoc solliciti sunt Theologi, quando de Articulis fidei, peculiaribus Spiritus Sancti donis & miraculis disquirunt, quæ de re vid. *B. Chemnit. part. 1. LL. C. de Causa Peccati c. 5. p. mibi 157.* Nos de illo hæc vice disputabimus.

17. Quætionem AN SIT, quæ omninò nobis præmittenda videtur, cum eam inter Præcognitiones referat *Aristotel. l. 1. poster. Analyt. c. 1.* multi sunt, qui negant.

18. Possumus autem Negantium duas facere classes. Prior continebit eos, qui dicunt, solas Creaturas agere citra influxum Divinum; Posterior eos, qui volunt, Causas secundas nihil agere, sed quicquid fit, omne id fieri immediatè à Deo.

19. Illis annumerantur, & qui existimant, magnam imprudentiam & impotentiam esse, si Deus concurrat ad opera Naturæ, quos inter est *Taurellus de Rer. ætern. part. 2. p. 451.* cujus verba allegat *Dn. Scheibler. l. Topicor. c. 3. p. 114. n. 98.* & qui statuunt, Deum ideò dici concurrere ad actiones Causarum secundarum, non quòd per se influat in istas, sed solùm Remotè, quatenùs dedit illis primum Esse, & potentiam indidit operativam, ut facit *Durandus l. 2. sentent. Dist. 1. qu. 5. & Dist. 37. qu. 1. citante Suarezio Disp. 22. Metaphys. sect. 1. n. 2. & ex hoc Dn. Scheibler. in Topic. c. 3. n. 98. p. 114.*

20. Inter Hos esse putantur à plerisq; *Aliacensis l. 4. Sent. Dist. 1. qu. 1. & Gabriel l. 4. Dist. 2. qu. 23.* Cum quibus faciunt & illi, qui admittunt res spirituales saltem aliquid operari, Res corporeas & materiales minimè, inter quos fuisse dicitur *Avicembron.*

21. Utraq; Opinio falsa, & in contrarium asserendum est, & Deum concurrere ad actiones Causarum secundarum omnes, & Causas secundas aliquid agere. Nisi enim hoc præsupponatur, nec primum stare poterit, cùm Concursus seu Cooperatio notet societatem ad aliud.

22. Hoc probamus I. *in Agentibus liberis.* Si enim hæc non agerent, periret Arbitrij libertas. Hæc namq; in illo consistit, uti Homo ex se possit operationem perficere. II. *In agentibus naturalibus.* Videmus enim solem illuminare formaliter, Ignem calefacere, Aquam frigefacere mediantibus formis internis per emanationem agentibus, ut docetur alibi.

23. Res materiales ob quantitatem nullâ efficaciam instructam ab Actionibus dum excludunt, ineptè colligunt. Considerant enim Quantitatem abstractam, quæ tamen in Corporeis abstracta non est, sed semper cum Qualitatibus, Principiis operativis concreta, ut hac ratione operationes suppositi potius promovere, quàm impedire videatur.

24. *Illud* quanquam fundamentis ab ipso Spir. S. in sacro Codice suppeditatis probare possimus; tamen, missis his, ne falcem in alienam messem mittamus, unica, sat ponderosa tamen hic sufficiat Ratio,

25. Et

25. Et quidem Dependētia Creaturarum in esse sufficiēter probat influxum Divinum quoad cooperationem. Si enim quoad Esse dependent, quoad operari independentes non erunt, nisi statuamus, Entia in Esse dependentia producere aliquid independens, quod αὐτοφύλον ἐστίν. Multò enim perfectius esset Causatum, quàm Causa.

26. Nec propterea impotentem, nec imprudentem DEUM esse dicimus cum *Taurello*. Non *impotentem* quidem, quia potentia DEI ad ea extenditur, quæ non involvunt contradictionem. Jam vero esse aliquod Ens quoad Essentiam creatum, & tamen independentem citra concursum & adminiculum Causæ primæ agere, est sanè contradictorium. Ergò hoc ipsum potentia divinae nil derogat. Non *imprudentem* verò, quia eo ipso, quò creaturæ sibi relictæ nullum Effectum producere possunt, & imperfectionis arguuntur, soli Deo perfectio relinquitur.

27. Potentiam operativam Entibus creatis quando dedisse dicitur Deus, non sequitur exinde Deum propterea non concurrere actu ad ipsorum actiones. Dedit enim illis potentiam sufficientem in suo genere, hoc est, dependentem. Independentem enim citra contradictionis Vitium esse non potest, ut dictum.

28. Stante nunc Concursus Divini Veritate, ut in uberiorem deveniamus Rei cognitionem, ad Causas accessum faciemus, quibus enucleatis Veritas prodibit ultrò, & quid Concursus Causæ primæ sit, quid non sit, evidentissimè patebit.

29. Et primò quidem *Efficiens ἀρχηγμένη* est Dei Voluntas seu ipsa Volitio, ut loquuntur, quæ juxta nostrum intelligendi modum eum concursum præcedit, licet nonnulli sentiant Volitionem esse ipsius influxus formam, quod tamen falsum, siquidem Volitio est actio Dei immanens, Concursus verò opus ad extra, & differunt ut Antecedens & Consequens, ut Causa & Effectum.

30. Illa autem Volitio considerari potest dupliciter. Vel in ipsa Creatione, vel in temporali continuatione. Ibi consideratur quatenus DEUS volendo decrevit Creaturas concursu suo continuo perficere. Hic, quatenus Voluntatem suam non suspendit, sed semper quando & ubi Creaturæ operantur cum
ipsis

ipsis conjunctim producit Effectus, in qua lege tamen quandoq;
Dispensat variando hujusmodi concursum, ut quando Sol stetit
Jos. 10. Ignis non ussit in fornace Babylonica *Daniel. 3.*

31. *Secundò verò Efficiens* $\pi\epsilon\gamma\kappa\alpha\tau\alpha\epsilon\upsilon\lambda\upsilon\eta$ est *Dependentia*
Creaturarum. Ut enim dependent in fieri & Esse, ita & depen-
dent in operari, cum modus operandi sequatur modum Essendi,
ut jam superius pluribus fuit dictum.

32. *Materiam circa quam seu Objectum* quod attinet, non so-
lùm *Cicero*, qui dixit, *Deos magna saltem curare, parva negligere,*
sed & *Doctissimus* alioquin *Pater, Hieronymus Commentar. in cap.*
1. Habac. vilia Animalia ab influxu divino non adeò participare
putat, notantibus *Theologis, in primis Brochmanno Tom. 1. LL. de*
Provid. c. 1. p. mibi 516.

33. Verùm præterquam quòd *Scriptura* pediculorum, for-
micarum, passerulorum, Araneorum, & cæterorum hujus for-
tis *Entium* faciat mentionem, constanter asserimus, *Deum* o-
mninò etiam ad vilissimarum rerum tam *Conservationem,*
quàm *operationem* influere. Si enim tales non dedignatus est
influxu creativo nec dedignabitur eas influxu conservativo & co-
operativo, ut sita loquamur, quippè quò inevitabili necessitate
indigent ob eam, quam habent, dependentiam.

34. Itaque *Influxus seu Concursus* *Causæ primæ* *Objectum*
ponimus nos omnes omnium rerum *Creatarum* *Actiones* tam
Naturales, quàm *Liberas,* easque tam *bonas,* quàm *malas.*

35. *Liberas seu Voluntarias* *Causarum secundarum* *Actiones*
ab *objecto Concursus* *Causæ primæ* *excludunt* multi, quòd
hac *ratione* *Libertas* in *agendo* *tolli* videatur.

36. *Circa concursum* *divinum* ad *actiones* *malas* *aberrant,*
non solùm *Calviniani,* sed & *plerique Pontificii,* quasi *Deus* eo
modo ad *Actiones* *malas* *concurrat,* quo *concurrere* *solet* ad *Bo-*
nas, *cujus* *tamen* *rei* *diversissima* *est* *ratio.* *Papistarum* *magnum*
numerum *vide* *citatum* *in* *Disputat. peculiari de Peccato, Rectoris*
nostri Magnif. Dn. Doct. Hulseman. Dn. Præceptoris mei summè ho-
norandi, Capitul. 3. thes. 2. §. 1.

37. Ut autem *thesis* *nostra* *stet* *salva,* *ostendendum* *est,* *quo-*
modo *Deus* *concurrat* *ad* *actiones* *Voluntarias* *&* *malas.* *Quod*
dum

dum facimus, ad *Causam Formalem* accedimus, ubi distincta di-
stinctè proponemus, explicando, quomodo Deus concurrat (1) ad
Actiones Naturales. (2) ad Voluntarias, easq; & Bonas & Malas.

38. Antequam autem id fiat, generalia quædam ad omnes
Actiones tam Naturales, quàm Liberas spectantia præmittemus,
ne nos ipsos confundamus.

39. In quo ergò Concursum Causæ primæ consistat, quæritur.
Certum est, *Concursum hunc non absolvi nudâ volitione*, ut nihil
sit aliud, quàm Causam primam velle actûs Causarum secunda-
rum. Certum est, *Concursum Cause primæ non consistere in Vir-
tute superaddita*, quâ creaturam sufficientem esse dicunt ad actum
suum, quod supra fuit refutatum *thes. 27.* & fusiùs à *Svarezio*
Disp. citat. Sect. 2. n. 1 Certum denique est, *Concursum istum non*
esse motionem Causarum secundarum, si motio propriè accipiatur.
Nam hac ratione Deus non ad actiones Causarum secundarum,
sed tantùm ad Causas concurreret, attingeretque Effectum non
nisi Remotè, & ut loquuntur, non *Physicè*, sed *Moraliter*.

40. Restat, ut dicamus, *Deum concurrere ad actiones causa-
rum secundarum actualiter, Immediatè, Immediatione tam Virtutis,
quàm Suppositi.* Illo quidem modo, quòd Deus propriâ virtute,
non communicatâ agat, ut fortè Luna, cæteræque stellæ lucent
luce Solis communicatâ. Hoc verò modo, quòd non absens,
sed præsens nullo etiam adhibito instrumento omnia operetur,
juxta illud tritum: *Enter, præfenter, Deus hîc & ubiq; potenter.*
Conf. Excell. Dn. D. Jacob. Mart. l. 1. Metaphys. Exercit. 4. Theor.
5. p. mibi 185.

41. Ex dictis patet, Deum in concursu suo non adhibere cœ-
lum, vel ut instrumentum, vel ut medium in quod primò agat,
hoc demum ad reliquarum Causarum actiones concurrat, quod
statuisse videtur *Javellus*, quando ait, *Cessante motu cæli subito*
cessaturum omnem actionem inferiorum agentium, omniaq; viventia
*illicò animas exspiratura, eò quod non possint sine motu aliquo vi-
vere*, citante *Svaretzio l. c. Sect. 5. n. 7* & paulò post. *n. 8.* *Ipsum prin-
cipium non agit per seipsum Immediatè in hæc inferiora, sed per Cau-
sas medias.*

B

42. Pro-

42. Probè enim tenendum est, nullam Causam secundam per se & intrinsecè pendere in agendo ab alio agente Creato, sed solùm à Causa prima. Causæ namque secundæ sufficientes in suo genere subordinantur Causæ primæ, unde etiam istam sufficientiam habeant, sive à se modo interno, sive ab alio aliquo superiori modo externo.

43. Cœlum itaque ad istam internam & Essentialem Dependenciam & subordinationem non spectat, sed si etiam simul ad quasdam actiones concurrat, sicut revera concurrat, juxta illud Philosophi, *Sol & homo generant hominem l. 2. Physicor. c. 2. t. 26.* est concursus Causarum partialium, non tamen sociarum, cum hæc postulent generis identitatem, ut cum duo Equi trahunt currum.

44. Nihilominus tamen Causæ secundæ Solitariae sunt, etiam si admittant partialem, si modò abstineant à Socia. Causæ enim Sociæ & Partiales non recipiuntur Universaliter, sed differunt, ut Latius & Strictius. Deus autem partialis Causa dicens non est, siquidem *Totalis Causa* dicitur non tantùm quæ Solitariè operatur, sed & quæ sine concursu causæ superioris, h. e. independentè agit. Aliàs Deum cum Creaturis concurrere non ob insufficientiam sibi ad hærentem, sed ob imbecillitatem Creaturarum in propatulo est. Vide *Excell. Dn. Presidem Diss. 10. Theor. Transcend. Append. 4. thes. 29. & Dn. Scheibler. l. 1. Metaphys. c. 22. Titul. 6. Articul. 1. n. 75. p. mibi 553.*

45. Tandem & hoc attendendum est, Immediationem hanc non respicere Causam secundam, sed Effectum, ut inde neciatur Canon: *Causa primæ concursus est actio ipsum terminum seu Effectum Causæ secundæ respiciens*, ut ita Causa prima non novi quid in causa secunda generet, sed cum illa aliquid efficiat. Hinc rectè Actio tribuitur utriq; Causæ, tam primæ, quàm secundæ.

46. Nunc in specie, quantum fieri poterit, declarabimus, quomodo DEUS concurrat cum Agentibus Naturalibus & Libris.

47. Et *Naturale* quidem quod attinet, non sumitur hinc (1) in *Oppositione ad Artificiale* pro rebus naturalibus, quæ sunt vel in, vel à Natura, qua ratione in *Metaphys.* disjunctam Entis Affectionem constituit. Nec (2) in *Oppositione ad Supernaturale*. Sic enim
& Vo

& Voluntas Hominis naturale quid est. Nec (3) in Oppositione ad Animale. Sed (4) in Oppositione ad Voluntarium, ut ita Actiones hinc nobis dicantur Naturales, ad quas Voluntas non concurrat, ut sunt omnes illæ; quæ ab Anima vegetativa & sensitiva originem trahunt.

48. Difficultas hinc oritur inde, quod Causæ naturales semper eodem modo & necessario agant. Sic Ignis semper urit præsentem materia ultibili. Hinc disceptatur, *An Deus necessitetur ad tales actiones, & An à Causis secundis determinetur.*

49. Dicimus breviter ad hoc quæsitum, si Deus necessitetur ad concursum talem, non posset Causæ naturalis actionem impedire, quod tamen pro liberrima sua voluntate fecit, *Jos. 10. & Daniel. 3.*

50. DEUS itaque, qui est agens liberrimum & omnipotentissimum à nemine cogi potest. Quod autem cum Agentibus naturalibus ordinariè semper eodem modo concurrat, facit vi suæ voluntatis, juxta quam ut Entia creavit, ita etiam eadem facit operari, & unicuique præbet concursum virtuti ejus accommodatum.

51. Supposita igitur efficaci voluntate Dei ad concurrendum cum hac causa, ex necessitate quidem prodit actio tam à Causa prima, quam à Secunda, sed diverso respectu, ut scilicet respectu Causæ secundæ sit *Necessitas Naturæ*, respectu Causæ primæ sit *Necessitas ex suppositione suæ immutabilitatis*, ut prolixè explicat *Svaretz l. c. Sect. 4. n. 3. & ex hoc Keslerus in pecul. Disp. de hac materia th. 91.*

52. Ex his colligimus, Deum non determinari ab agentibus naturalibus, sed potius determinare ipsa Agentia, imprimis si ad æternam ejus voluntatem & Decretum omnem Causam secundam (Naturalem) præveniens respiciamus. Et hæc de Agentibus Naturalibus, Nunc de Liberais.

53. Per *Actiones autem liberas* intelligimus hoc loco eas, quæ proficiscuntur ex interno liberoque agendi principio, quod non, nisi in intellectualibus invenitur, & primariò non *δυνάμει αντίθετος* vel potentiâ ad opposita, quæ aliàs vocatur *Libertas Contrarietatis*, sed ipsa voluntatis volendi & nolendi potestate absolvitur libera, quæ vocatur *Libertas Contradictionis*.

54. Differunt agentia libera à naturalibus, quòd illa positis omnibus ad agendum requisitis possint operari & non operari, Hæc positis requisitis operationem cohibere non possint, sicut *Ignis fractis carceribus, quibus continetur non potest non in superiorem spheram evolare*, inquit *Mendoza part. 2. Oper. Philosoph. Diss. 15. Sect. 1. §. 1.*

55. Actionum liberarum principium vocatur *Liberum Arbitrium*, quod consideratur vel ratione *ῥαίας* seu *Essentie*, quo respectu ipsa voluntas est, quæ formaliter considerata nihil est aliud, quàm potentia in agendo libera, vel ratione *ἐνεργείας* seu *Operationis*, quo respectu Liberum Arbitrium consideratur non tam quid sit, quàm quid possit. Et hinc ratione Liberum Arbitrium non est ipsa voluntas, sed voluntatis exercitium. Vocatur aliàs *Libertas ad objectum*, item *Libertas exterior*, quorum Terminorum explicationem videat, qui vult, apud *B. Gerbardum T. 2. LL. C. de Lib. Arbitr. §. 15. p. 780.*

56. Hoc respectu Hominis Liberum Arbitrium consideratur vel *Theologicè*, vel *Philosophicè*. Illo modo Homo ex corruptione suæ naturæ Libero arbitrio caret, quò respectu dixit *B. Lutherus* Hominem habere non liberum, sed servum arbitrium, contra *Erasmum*. Hoc modo in respectu scil. ad externa & civilia vires liberi arbitrij Homini ademptæ non sunt. Liber enim est homo quoad externum studium virtutis & fugam voluptatis, siquidem alterutrum eligere potest ex se.

57. Hinc si dicitur liber à *Necessitate immutabilitatis*, non nisi de externis & civilibus intelligendum est. Post lapsum enim Homo non ampliùs ad bonum Legi Dei conforme naturam suam, nisi juvetur à Spiritu S. extraordinariè, seipsum determinare potest.

58. Actus igitur hominis spiritualiter bonos h. l. excludimus. Ad hos namq; Homo seipsum determinare nequit, nec ullum in se principium habet operandi. Quicquid autem de Hominis libertate discurremus, id omne quoad civilia volumus intellectum, de quibus etiam intelligenda erit thesis subsequens 60. Quò non observatò, multos hallucinatos esse, inquit *Suarez. Diss. cit. Sect. 4. n. 11.*

59. Et

59. Et cum Agentia libera non sint determinata naturam suam ad exercitium suarum actionum, non Absolutè etiam, sed quasi subintellectu conditione, ut loquitur Suarez, Deus vult illum actum esse, in quantum nimirum Causa libera ad hunc vel istum actum sese disponit & determinat ex se, suoque proprio principio, istamque determinationem Deus prævidit. Quam prævisam etiam decrevit illi cooperari, ut ita Libertas vera Voluntati Causæ secundæ relinquatur. Præscientia enim illa divina non est, nisi à posteriori, rebusque necessitatem non infert.

60. Actionis itaque determinatio penes Causam secundam est. Prima juxta Dispositionem secundæ agit. Jam si determinatio fit ad bonum Deus causa est, approbat, excitat, exornat, perficit atque amplificat, quò accedit fermè ad actiones speciales; Sin ad malum, adversatur, improbat, & ad certos terminos determinat.

61. Nihilominus dicitur concurrere ad actiones malas, quatenus scilicet generatim ad actiones, quæ Actiones sunt, influit, quod Adversarij ubique confundunt, & persuadere nobis conantur, Homines etiam sceleratos nihil cogitare, nihil velle, cujus voluntatem Deus non dederit, atque sic determinationem motus spontanei à Dei decreto, non ab hominis voluntate suspendunt, quando dicunt, *Hominem quidem spontè peccare, quia voluntariè peccat, sed tamen addunt, Voluntatem non nisi ad eam partem se flectere posse, ad quam Deus efficaciter flectit, etiamsi aptitudinem ad utrumlibet habeat.* Faciunt hoc ex Calvinianis Beza part. 2. Respons. ad Colloq. Mompelgart. p. 207. & Zanchius de Nat. Dei c. 2. Ex Pontificiis, Bellarminus l. 2. de Amis. Gr. & Stat. Pecc. c. 13. & alij, quorum opiniones ulterius examinandas relinquimus Theologis. Nostrum enim nunc non est in Theologicum descendere campum. Sufficit, si ostendamus, Adversarios malè etiam ex principiis Philosophicis disputare, quod faciunt omninò, quando Agentia libera Necessariò, & quod magis Coactè per impulsione, flexione, Directionem agere contendunt.

62. Nam stante hac præconceptâ opinione, Libertatem

B 3

in

in agendo Homini planè auferti certissimum est. Ubi enim Coactio, Determinatio, Flexio, & similia à Principio externo, ibi veræ Libertati locus relinquatur nullus, siquidem Coactio & Libertas Diametraliter opponuntur.

63. Quando autem Deus concurrere dicitur ad Actiones malas, piè sentiendum est, ne cum coætaneis Syraci *Ecclesiastic. c. 15. v. 11.* & hodiernis Hæreticis culpam in ipsum Deum transferamus, quâ de re monet *B. Chemnit part. 1. L. C. de Caus. Pecc. c. 8. p. mibi 169.*

64. Quod ne fiat, distingvimus inter Actiones, quæ tales, & Actionum *αὐταξία*. Illæ Essentialiter Causæ primæ sunt subordinatæ; Hæc à Deo deficit, nec agnoscit Voluntatem, per se esse Causam, sed lapsu corruptam.

65. Quicquid itaq; deficit, sive id fiat *Privativè* sive *Positivè*, à Deo non dependet, cum *Deficere*, generatim definiendo, *nihil sit aliud, quàm ab ordine verò & Lege divina aberrare.* Vid. *B. Meisn. in Quest. vexatis qu. 4. thes. 16.*

66. Peccatum aliàs nudam Privationem non esse, sed insuper positivam qualitatem vitiosam omnes unanimiter docent Theologi nostri contra Pontificios. Positivitatem autem intelligimus non *Metaphysicam*, quæ cum bonitate reciprocatur, sed *Moralem seu Ethicam*, quæ consistit in vitioso habitu ab alia causa moraliter mala, videlicet Diabolo, communicato, adeoque Defectui opponenda non est, ut pluribus demonstrat *B. Meisnerus l. c.*

67. Ad hoc illustrandum solent dare simile haut inconveniens. Quemadmodum in claudicante duo consideranda sunt, Unum est Motus, Alterum ipsa Claudicatio; Ille est à potentia locomotiva, Hæc à vitiositate tibiæ, & certum est potentiam locomotivam esse quidem causam motûs, ut sic, non tamen Claudicationis. Sic causa prima est causa generalis Actionum, non tamen Actionum vitiosarum, quippe quæ habent aliud principium, videlicet vitiositatem voluntatis.

68. Finis concursus divini *primarius* est Gloria Dei, quæ
inprimis

inprimis elucescit Bonitatis & potentia divinae manifestatio-
ne. *Secundarius* est Perfectio & Utilitas Creaturarum.

69. Ex his omnibus patet, *Concursum Cause prima esse actio-
nem externam, quâ Deus immediatè concurrat ad omnes Creatu-
rarum Actiones essentialiter sibi subordinatas perficiendas.*

70. Et cum hac Dei actione cognationem habent reliquæ,
quales sunt *Creatio*, quæ est actio, quâ Deus ex nihilo omnia
produxit, & *Conservatio*, quæ est actio, quâ Deus res à se crea-
tas sustentat, & in esse suo conservat. Istiusmodi enim
actiones arctissimo quasi vinculo connexæ sunt, ut positâ
Unâ etiam ponantur reliquæ.

71. Contraria verò est *Influxus seu Cooperationis Subtrahio*,
quâ factâ Cause secundæ non operantur, & *Annihilatio*, quæ
est Conservationis omisio, seu cessatio. Hâc enim sola, sine
ulla alia operatione res ruunt in nihilum, quod displicet
Wendelino l. 1. Christ. Theol. c. 6. p. mibi 172. Et hæc in præsentia
dixisse sufficiat. Si quæ adhuc sunt, quæ ad materia hu-
jus illustrationem pertinere videntur, usq;

ad conflictationem reserva-
mus.

*Gloria sit Deo Patri, Filio, & Spiritui
S. in secula sempiterna.*

M. Martinus Heinicus
F. P. A. S.

F I N I S



Præstantissimo Dn. Re-
spondenti.

Cum vexilla fero sub Rege cruenta triumphant
Marte, Minerva jacet.

Exilium missis patiente & milite signis
Marte, Minerva placet.

Sic Witeberga pia quondam nutricula Minervæ
Marte furente patet,

Vix poterat studiosa cohors sub tecta putari,
Nunc satis arcta latet.

Nam duo que contra se digladiantur in uno
Non bene conveniunt.

Subiecto, aut solus Mars, aut generosa Minerva
Te Witeberga reget.

Sed quia Mars profert cristas, patiêre Minerva,
Ni modo tota ruas.

Omninò deserta diu fervente tumultu
Docta Cathedra foret,

Ni Deus egregias animaret flamine mentes;
Dent studiis que operam.

M. Martinus Heinsius
Fac. Phil. Adj.

F I N I S.

05 A 1459

ULB Halle
003 777 847

3




5b

VON







DISPUTATIO PHILOSOPHICA
DE
CONCURSU CAU-
SÆ PRIMÆ CUM ACTIONI-
BUS CAISARUM SECUNDARUM,

Quam,

Concurrente primæ causæ auxilio,

In Celeberrima Wittebergenfium Academia

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*ADMODUM REVERENDI, CLARISSIMI, ATQUE
EXCELLENTISSIMI*

DN. JOHANNIS SCHARFII,
SS. Theol. Licent. Log. & Metaphys. Professoris Cele-
berrimi, Dn. Præceptoris, Fautoris, ac Promotoris sui
summè honorandi,

Publico subjicit Examine

JOHANN. GEORG. HUTTENUS
Gubenâ - Lufatus,

*Habebitur d. 13. Martij in Auditor. Minor.
Horis antemeridianis.*

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
ALL® DC XXXIX,